

Deus, qui in prophetas contulit prophetiae donum, non denegabit scribendi facultatem. Injuncta est Ezechieli scriptio ab ipso Deo. Cap. XXIV. 2. & Cap. XLIII. II. sq. Daniele sua vaticinia scripsisse patet ex Capitibus VIII. IX. X. XII. imprimis id apparet ex Cap. XII. 4. ubi mandatur, ut claudat verba, & obsignet librum &c. Quae verba indicant, injunctum esse Danieli, ut desistat a descriptione vaticiniorum, & signet librum i. e. inscribat libro nomen suum & claudat, nequis dubitet de veritate illarum visionum. Tandem Habakukum quod attinet, certum est, eum scripsisse sua vaticinia, mandatum enim Dei expressum legimus Cap. II. v. 6. *respondit mihi Dominus, & dixit, scribe visionem, & explana in tabulis, ut, qui praetercurrit, legat in ea.*

§. 16.

Est quoque propulsanda injuria, quam Talmudistae Habakuko intulerunt. Consuetudo Talmudistarum est, opiniones aliunde acceptas scripturae inferre, & phrasas longe alium sensum referentes in suas opiniones trahere, cujus rei luculentum exemplum in Habakuko nostro invenimus. Non puduit Talmudistas magicas artes magnificentes, easdem prophetae nostro imputare, eumque magum, qui ducto super terram circulo Deum compellaverit, appellare. Extat illud figmentum Cod. Thaanith. Cap. III. f. 23. C. a. *Tradunt Rabbini nostri, aliquando maxima pars februarii praeterierat & non descenderant pluviae. Miserunt itaque ad Chonium, magum (qui in arte sua circulis utitur) Qui precatus est, & descenderunt pluviae, & precatus est, & non descenderunt pluviae (qui precibus suis pluvias producere, & precibus pluvias cohibere potuit) Circulum in gyrum ille duxit, & in medio ejus stetit, uti fecit Habakuk*

bakuk